

omnem alium modum eis per ipsos¹⁾ iustituarios ordinatum
 osservare, nec furmentum pro pane fiendo emere vel emi facere
 seu recipere preter quam de furmento funthei comunis, sub
 pena decem sold. par. pro quolibet stario. ¶ Et non vendere
 seu facere vendi aliquem panem minus iusti ponderis, secun- 5
 dum assignationem eis factam per ipsos iustituarios, sub pena
 quadraginta frx., si²⁾ fuerit a decem panibus inferius. Et si
 fuerit a decem panibus superius sub pena dimidie marce frx.
 et amittendi talem panem. ¶ Preterea si aliqua panicocula
 habens maritum accipiet de furmento fontei comunis, quod 10
 ipsum furmentum libere accipere possit et pro ipso furmento
 dare securitatem fontechario comunis, et panem ipsius fur-
 menti vendere ad suam voluntatem, etiam sine consensu ipsius
 sui mariti. ¶ Et quelibet panicocula vendens panem vendere
 113 A debeat sub logia comunis ad hoc deputata, sub pena vigin- // 15
 ti sold. par. pro qualibet contrafatiente, salvo quod vendere
 possint in eorum domibus pro necessitate. ¶ Insuper facere
 non debeant panem ad aliquem furnum alicuius fontecharii
 vel eius notarii, tempore offitii ipsius fontecharii, sub pena
 medie marce frx. ¶ Et quelibet persona artem panicocularie 20
 exercens vel exercere volens, iurare debeat ipsam artem de
 mense ianuarii, et que iuraverit vendere debeat panem per to-
 tum annum, et ipsam artem in dicto anno refutare non possit,
 sub pena vigintiquinque libr. par. pro qualibet persona contra-
 fatiente et vice qualibet contrafacta; et que non iuraverit in 25
 predicto mense esse non possit panicocula, nec ipsam artem
 exercere sub pena predicta, nec per dominium Tergesti admitti
 ad dictam artem exercendam, sub pena vigintiquinque libr. par.
 pro quolibet potestate et iudice contrafatiente. ¶ Item predice
 panicocule filare naspere seu clamare³⁾ non debeant nec se- 30
 scupedare, nec infantem a duobus annis inferius tenere in foro
 comunis vendendo panem, sub pena decem sold. par. pro qua-
 libet⁴⁾ contrafatiente et vice qualibet contrafacta, nec sub logia
 veteri comunis vendere panem, sub pena viginti sold. par. pro

¹⁾ *ipsas.* ²⁾ *si-marce frx.* aggiunta marginale. ³⁾ Stat. 1365: *glomerare.*

⁴⁾ *quolibet.*